

Lorenz Bodock

**Rector Universitatis Rostochiensis Laurentius Bodock, Ph. U.I.D. ... Ad Funus ...
Foeminae Elisabethae Gerdes/ Quod Moestissimus atque afflictissimus Maritus
Vir ... Dn. Fridericus Cothman, I.U.D. & Advocatus celeberrimus Hodierna A Hora
Prima solenniter decenter[ue] parabit Omnes Universitatis huius Cives ac
Favatores ... invitat**

Rostochii: Kilius, 1661

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn77744853X>

Druck Freier  Zugang



B o d o c k, L.,
in E. Gerdes,
uxor. F. Cothman.

Rostock. 1661.

60.





Universitäts
Bibliothek
Rostock

[http://purl.uni-rostock.de
/rosdok/ppn77744853X/phys_0003](http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn77744853X/phys_0003)

DFG



RECTOR
UNIVERSITATIS ROSTOCHIENSIS
LARENTIUS BODOCK,
Ph. U. J. D. Consiliarius Mecklenburgi-
cus. Académ. Orator, Colleg. Philos. Senior.
& p. t. DECANUS.

AD FUNUS

SPLENDORE NATALIUM AC VIRTUTUM
ILLUSTRIS FOEMINÆ

ELISABETHÆ

Verdes /

Quod
Mœstissimus atquè afflīctus
Maritus

VIR

EXCELLENTISSIMUS, CONSULTISSIMUS,
AMPLISSIMUS.

DN. FRIDERJCUS
COTHMAN,

J. U. D. & Advocatus celeberrimus

HODIERNAHORA PRIMA

solenniter de centro ergo parabit

Omnes Universitatis hujus Cives ac Favtores
peramanter ac officiose invitati.

ROSTOCHII,

Typis JOHANNIS KILII, Acad. Typ. ANNO CHRISTI M. DC. LXI.



RECTOR
UNIVERSITATIS ROSTOCHIENSIS
LAURENTIUS BODOCK, Ph. U. J. D.

S. P. D.

Aspera, fatemur, tristissimaq; fors
est, quæ VIRUM Amplissimum,
Consultissimumq; DN. FRIDERICI
CUM COTMANNUM, J. U. D. ac
Maximi Parentis clarissimum Filium,
Amicum ac Favitem nostrum singu-
larem premit, quando secundâ jam ille vice, in-
dividuum vitæ suæ adjutorium, & juxta cum hoc, tot
insigniorum virtutum ~~μετέπειταν~~ flebili funere ereptum
sibi queritur, ac impensisimè dolet. Commandant
præcipue fœmineum sexum, ac dignitatem Matro-
nalem mirificè ornant, pudicitia, obsequium, fides,
comitas, prudentia, familiæ cura, ac sedula admini-
stratio; deniq; quæ omnium virtutum Regina est, &
chorum quasi dicit, religiosa Pietas. Castitatem vel
pudicitiam ad id requiri maximè, uti honestè illiba-
tèque vivat Uxor, Monitum est in Politicis Philo-
sophorum Principis. Itaq; si speculum fortas-
sean

sean intueatur Marrona honesta , ita secum (Plu-
tarcho monente tacitè loquatur : Si deformis Sim,
quid essem , absq; pudore ? Sin formosa, quan-
ti fierem , si pudicitia accederet ? Sanè enim vita
pudica, pulcherrima fœminarum dos est, quæ eò
custodienda diligentius , cùm quod lapsa aut deper-
dita, reparari nullâ arte possit; tūm vero , quod men-
tibus impudicis, cum castissimâ mente DEO, nullum
esse possit commercium. *Obsequi* Marito , minime
refugit frugi ac proba Uxor , ut quæ ipsi DEO , obe-
dientiam ac submissionem Mulieribus imperanti, pa-
rendum, inq; , eo sanctissimarum Matronarum , SA-
RÆ cum primis, ABRAHAMUM, Dominum suum
reverenter habentis , exempla imitanda sibi , firmis-
simè credit ac statuit. *Fides* porro ea in Muliere vir-
tus est , quæ omne illud , quod proficuum , utile ac
salutare Marito videbitur , quo cunq; unquam possit
modo promovet , & quod noxium , damnosum ,
adversumq; avertit : Utramq; præterea fortunam ,
ac res omnes , arctissimæ causâ copulæ , communes
sibi sociasq; cum Marito dicit : Omnia vero mini-
mè , ob unicam quæ asperior eidem exciderat ,
voculam , indissolubile naturâ suâ vinculum rumpit ,
fugitq;. *Comis* Mulier mirificè exhilarare solet Ma-
ritū ; quem cùm humaniter benignèq; tractat , refi-
cere ac recreare animum ejusdem dicitur. Contrà ,
quanta Viro crux est , si morosam , refractariam ,

A 2

mor-

mordacem, & quæ omnem omnino humanitatis sensum exuerit, domi quotidie suæ non intueritantur, sed & fovere cogatur? In laudibus LIVIA est, AUGUSTI Uxor, quæ, quoniam sibi pacto HERUM obtinuissest ac devinxisset suum? interrogata; diligenter respondit, prudenter agendo summum, fæse studium adhibuisse, uti omnia ex animo AUGUSTI faceret, nec curiosè quicquam perquireret eorū, quæ ipse ageret: ac simulasse, quasi neq; audiret, neq; sentiret, si vel maximè moliretur HERUS, quæ non semper forent ad palatum. Celeberrima in Sacris est ABIGAIL, quæ admirabili comitate ac benevolentia, quâ simul & fidem conjugalem, & insignem prudentiam ostendit, maritum suum, hominem cùm alias nauci & nihili, tûm apprimè stolidum, ab interitu vindicavit. *Prudens rerumq; gigna*ra fœmina, sapientissimi mortalium Regis judicio, domum ædificat suam; contra insipiens extructam probequè munitam destruit: Ne dicam, quod è stultâ muliere aliquid etiam in maritum labis deriveatur, quando fieri sevit, uti plurimi honore ac laude præstantes viri, propter uxorum stoliditatem ac stultitiam, invisi sæpenumerò ac tantum non infames reddantur. *Sedulitas* in curandâ familiâ, administrandaque re domesticâ, proprium quoddam eximiæ mulieris officium est. Et veluti viri est virtus administrare (Platone teste) Rempubl. Ita familiam gu-

am gubernare, est Conjugis. Utilem profecto ac
frugi fœminam, ex eo prædicant sacra atque divina
proverbia, non quod ad clarissimam usque lucem
in plumis hæreat, & cuticulam curet, sed quod ma-
nè surgat & laboret, quærat lanam ac linum, opere-
tur adjumento manuum suarum, quodquæ institu-
riam navem imitata, merces è longinquo advehent-
tem, victum distribuat domesticis, cibariaque an-
cillis. *Pietas* deniq; omnium, uti dictum, Princeps
est, & præcipue rem conficit. Illa enim precibus
lectionique ac meditationi sacrarum literarum in-
tentra facit, ut ipsi etiam domestici iisdem studiis
operentur; indeque omnino fit, uti per domum,
abundantissime sese diffundat, divina quævis bene-
dictio. Quandoquidem igitur moestissimus DN.
VIDUUS Conjugem habuit (utinam haberet ad-
huc, tantoq; thesaurò longè diutiùs frueretur) præci-
puarum, quas diximus, Virtutuni ornamento con-
spicuam; nemo mirabitur, si angatur animi, tantiq;
boni jaçturam, cum summô animi dolore patiatur
ac ferat. Cæterum nos quæ ad commendationem,
pertinebunt laudatissimæ Matronæ **ELISABETHÆ**
GERDESIÆ, quorumcunq; commemoratio ex ul-
timis humanitatis Officiis est, jam porro exequemur,
atq; ita piè defunctæ memoriam, quantum in nobis
est, ab interitu vindicabimus. Quanquam nil præ-
clarum adeò dici in eam, scribivè queat, quin virtus

Röif
id ipsius & excellentissima indoles longissimè omne
exsuperarit. Nata itaq; est GUSTRO VII Anno
superioris seculi 94. Mense Januario, Patre quidem
Amplissimo & Consultissimo D N. MARTINO
Gerdes, J.U.D. ac Consule, Syndicoq; ejusdem Civi-
tatis clarissimo; Matre verò lectissimâ ac præstantissi-
mâ CATHARINA COCHIA. Avus ipsi paternus
fuit honestissimus Vir, JOANNES Gerdes, Civis
Malchinensis. Avia paterna EMERENTIA San-
ders, eximia fœmina. Avum Maternum habuit Re-
yerendum Clarissimum Virum, DN. CHRISTO-
PHORUM Gerdes, apud Gustrovienses, in Templo
Cathedrali, Verbi Divini Ministrum fidelissimum;
Aviam maternam, virtutibus ornatissimam MAR-
GARITAM Krullen. Quùm nasceretur, nihil
habuerunt prius antiquiusq; pii parentes, quàm
uti primis initiaretur sacris, h. e. per baptismum,
ab eâ labe, cum quâ, ex communi nascendi
sorte prodierat, ablueretur. Dein verò altera
eorundem cura fuit atque vigilantia, uti hone-
stissimè atquè ita educaretur, quo hujusce
sexus omnibus aliis, morum integritate, vitæque
sanctimoniam præluceret, ac clarissimo exemplo foret.
Quùm eâjam esset ætate, uti muliebris patientiæ le-
gem ferre quiret, Consultissimo Viro DN. JOANNI
von Hillen, Osnaburgensi, J.U.D. & apud Gustro-
vienses Practico eximio elocata abs dictis paren-
bus

tibus est Anno 1617. die 14 Octobr. Manseruntque
una GUSTROVI usque ad annum 27. Mense vero
Julio ejusd. ob bellicos tumultus ac metus, domici-
lium huc transtulere suum, donec ab Illustriss. Prin-
cipe DN. AUGUSTO, inferioris Saxoniæ Duce,
Consiliarius & Adsestor judicij provincialis vocatus
maritus, in sequenti anno 28. LUBECA M cum con-
juge hac suâ discessit, sedemque ibidem ultimam
fixit. Et pacatum id fuit conjugium, & quinâ etiam
prole fæcundum: Nati enim sunt filia una, CATHA-
RINA ADELHEIT, filiique quatuor, JOANNES
CHRISTOPHORUS, JUSTUS MARTINUS,
HERMANNUS FRIDERICUS, & AUGUSTUS.
E quibus duo, sc. Clariſsimus Consultissimusque vir,
DN. JOANNES CHRISTOPHORUS, J. U. D. &
practicus felicissimus; uti & Eximus DN. HER-
MANNUS FRIDERICUS, per DEI gratiam
adhuc superstitant, remque & suam & publicam
gnaviter agunt. Neptes numeravit vidiisque ex
utriusque Conjugio sex omnino; & quidem ex filio
D. JOANNE CHRISTOPHORO quatuor;
ANNAM-ELISABETHAM, CATHARINAM-
MARGARITAM, ELISABETHAM, & JOHAN-
NAM; ex altero autem filio, HERMANNO-FRI-
DERICO duas; ELISABETHAM, & REGINAM-
ADELHEIT. Cæterum in satis erat, uti prior Ma-
ritus Anno 1638. die 21. August. mortalitatem exue-
ret,

ret, ac cœlestibus adscriberetur: Imò in fatis quoq;
erat, uti Viduaper integrum decennium NOSTRA,
ad secunda demum vota transiret, auspicatissimèq;
Consultissimo Excellentissimo & Amplissimo VIRO,
DN. FRIDERICO COTMANNO (cujus jam statim
sub initium, honorifica factitata mentio) J. U.D. cla-
rissimo desponderetur & nuberet; occasione datâ
per id Conjugiū, quod piè FUNCTÆ Frater, DN.
D. CHRISTOPHORUS Gerdes / Vir summus, ac
Lubecensium Cos. eminentissimus, verusq; ejusce-
REIP. post omnipotentem DEUM, Stator ac Con-
servator, cum MARGARITA JUNGIA inierat;
Enimverò hujus natu major Soror, CATHARINA
JUNGIA, prior DN. D. COTHMANNO nostro
Uxor contigerat; sed quæ Anno 1645. mense Julio,
mortaliū cætui erepta, non moriturorum amplius
habitaculo, sed cœlo redonabatur. Atq; hoc posterius
matrimonium, ut vel maximè sinè prole fuerit, nihilo
tamen min⁹, quod summam animorum conjunctio-
nem, mutuumq; amorem attinet, non extitit priore
ullâ in parte inferius. Namq; & summâ fide atquè
benivolentiâ complectebantur mutuo sese, & singu-
lari comitate alter alterum demerebatur. Vel sa-
cramento firmes, ita vixisse, quasi una anima in duo-
bus corporibus divideretur. Decem tresq; annos du-
ravit copula. Quibus lapsis, iterato vitæ, quin senectu-
tis jam etiam suæ subsidio, afflictissimum Viduum,
orbari

orbari oportuit. Qui quin miserabili isto casu,
& hoc acerbissimæ calamitatis genere vehemen-
tissimè percellatur, nemo temere dubitare ha-
beat. Nam quamvis multa sint, quæ mœrorem no-
bis in vitâ atq; ægritudinē afferre queant, omnino
ramen statuendum est, nihil asperius, tristius, aut
calamitosius accidere quicquam posse, quam
ubi duo, summum animorum concordiâ ac fide-
vincti invicem, & sic satis longâ consuetudine,
ac communione rerum omnium juncti, sanctissimeq; amantes, necessitate ultimâ divelluntur.
Quò arctior enim, & magis adstrictus eorum
nexus fuit antè; pòst, & vehementiore & acerbio-
rem distractionem esse necesse est. De valetudine,
quâ extincta est præcellens M A T R O N A,
non nostris, sed Experientissimi MEDICI, DN.
G A S P A R I S M A R C H I I , Med. D. ac P. P. Col-
legæ nostri conjunctissimi verbis docebimus:
Ita igitur ille. De Morbo piè defunctæ, si quid com-
memorare expedit, fuit is non unus & simplex aliquis,
sed ex pluribus compositus affectus, non acutus & ci-
tò jugulans, sed Chronicus, longiori tempore ac pau-
latim æconomiam corporis destruens. Nempe obno-
xia erat Matrona piissima multis ab annis Nephri-
tidi & Scorbuto, quibus & Colici dolores per inter-
valla juncti fuerunt; Dederat tamen ei Deus be-
nignissimus, tantum Naturæ robur, ut horum affectuum

B

atroci-

atrocibus licet subinde insultibus, per plures annos resi-
stere hanc difficulter potuerit, usq; dum provectione jam
seniō languescere viſe sunt egregia ista natura vires:
Istō enim defectu factum est, ut præsenti demum anno,
sub Maij mensis initium, de Cachecticō pedum ipsiusq;
ventrus tumore, tum & asthmate seu spirandi difficul-
tate, totiusq; corporis lassitudine ac gravitate conqueri
necessum habuerit: Cui indispositioni simulac necessa-
riis legitimisq; remediis obviam itum est. Spes primum
affulit aliqualis convalescentiæ, sed citra constantiam;
post Solstitium enim æstivum, declinante ad autum-
num anno, labi quoq; indies, idq; in primis proximè
elapsō mense Augustō animadvertisimus laudabile na-
tura robur; pro sterni appetitum; vitiari concoctiones,
& frequentiori alvi dejectione colliquari sensim totum
corpus, nil quicquam proficientibus vel nutrimentis vel
alimentis idoneis, quorum frustanei usū ipsa demum
pertæsa, prævisam corporis dissolutionem anxiè anhela-
vit, quæ etiam brevi deinceps subsequuta est, adeò, ut ex-
tinctō sensim superfite caloris innati residuo, ultimā
elapse mensis die, inter preces & suspiria devotissima
placidè expirarit. Hactenus Medicus. Qui quod
pietate, precibus ac suspiriis plenisimam obiisse
sub finem refert, id profectō verius est longè,
quam uti dici satis, aut credi à quoquam possit.
Decebat enim sanctissima mors eam, quæ incul-
patè seniper, sineq; maculâ, quantum mortali-
tas

tas capiebat, vixerat. Munierat se brevi ante Sacra synaxi, tanquam ultimo viatico, & postquam semet ipsani confirmaret, & abs Confessionario etiam, Viro Rev. Ampliss. & Excell. DN. GASPARÉ MAURITIO, S. S. Th. D. & Prof. quin & Ecclesiarum Rostochiensium Superintendente, benemerentissimo, Amico & Collegâ nostro honorando, efficacissimis scripturarum oraculis identidem roboraretur, ultimo August. ultimum fatum lubens ac læta excepit; ut quæ probè nosset, ignavum esse abjectumq; militem, qui Imperatorem suum gemens tristisq; sequatur. Vivendo fecit annos 67. & aliquot præterea menses. Nil superest aliud, quam ut pientissimè FUNCTÆ, ultimū honorē exhibeamus, & frequentissimas eamus exequias. Ad quod humanitatis ac benivolentiæ officium, non quidem, CIVES ACADEMICI, operosè nimis invitatum vos eo; ut qui norim, vel ultrò hīc vos, sponteq; vestrā, in funus ducendum, magno numero accursuros; quando favorem istū incomparabilis ac amplissima MATRONÆ præclaræ virtus meretur; quando familiae, ex quâ nata est, splendor exposcit; & quando jure quodā suo ipse etiam superstes MARITUS, de nostrâ Republicâ literariâ excellenter meritus, extremam hanc humanitatem exspectare abs vobis videtur.

P. P. sub Sigillo Rectoratus, die VI. Septembr.
Convenietur Horâ LinÆ de B. VIRGINI sacrâ.












Universitäts
Bibliothek
Rostock

[http://purl.uni-rostock.de
/rosdok/ppn77744853X/phys_0020](http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn77744853X/phys_0020)

DFG

orbari oportuit. Qui quin miserab
& hoc acerbissimæ calamitatis gene
tissimè percellatur, nemo temerè
beat. Nam quamvis multa sint, quæ n
bis in vitâ atq; ægritudinē afferre que
tamen statuendum est, nihil asperius
calamitosius accidere quicquam p
ubi duo, summum animorum conc
victi invicem, & sic satis longâ co
ac communione rerum omnium ji
simeq; amantes, necessitate ultim
Quò arctior enim, & magis adstri
nexus fuit antè; pôst, & vehementio
rem distractionem esse necesse est. I
quâ extincta est præcellens M A
non nostris, sed Experientissimi
G A S P A R I S M A R C H I I , Med.
legæ nostri conjunctissimi verbis
Ita igitur ille. De Morbo piè defund
memorare expedit, fuit is non unus \mathfrak{C}
sed ex pluribus compositus affectus, no
tò jugulans, sed Chronicus, longiori
latim æconomiam corporis destruens.
xia erat Matrona piissima multis a
tidi \mathfrak{C} Scorbuto, quibus \mathfrak{C} Colici a
valla juncti fuerunt; Dederat tam
nignissimus, tantum Naturarobur, u

B



the scale towards document

Image Engineering Scan Reference Chart TEB63 Serial No.

1092

Patch Reference numbers on UTT

1

fu,
en-
ha-
no-
inò
aut
m-
de-
e.,
stif-
tur.
m-
bio-
ine,
TA,
DN.
Col-
nus:
com-
quis,
 \mathfrak{C} ci-
pan-
obno-
phri-
nter-
s be-
ectum
trocí-